

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Georgii Calixti S. Theol. D. ... De Praecipuis Christianae  
Religionis Capitibus Disputationes XV.**

**Calixt, Georg**

**Helmestadii, 1658**

**VD17 VD17 3:303575N**

Disputatio XV. & ultima. De purgatorio

[urn:nbn:de:bsz:31-128662](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-128662)

## DISPUTATIO XV. &amp; ULTIMA.

## DE PURGATORIO.

## THESIS I.

**A**Ntiquissima est origo opinionum de Purgatorio, & apud gentes celebratissima. Naturaliter enim sciverunt, animam, utpote incompositam, non posse dissolvi aut interire.

II. Alij itaque μετεμψύχουσι animarum introduxerunt, ut Pythagoras & hujus adseclæ.

III. Alij dixerunt animas à corpore discedentes in certum locum abire, piorum quidem in campos elysios aut insulas beatorum; injustorum in carcerem supplicij, & tartarum.

IV. Atque hæc potuissent habuisse ex traditione & doctrinâ Hebræorum. Hisce autem ex propriâ speculatione tertium locum addiderunt, ubi purgentur animæ non ἀσώτοι illæ, sed ἰάσιμοι, infectæ adhuc quibusdam maculis, quas non expiarint, cum in vivis essent.

V. Hæc opinio Ethnicis, quippe doctrinæ de gratuitâ justificatione, merito & satisfactione Christi ignaris, arrisit. Præcipuè arripuerunt eam Philosophi & Poætæ Græci. Videatur Plato in *Gorgia*. Homerus *Odyss.* γ. unde sua deduxit Virgilius *Aeneidos* lib. vi. & Ovidius *II. Fastorum*.

VI. Quando itaque Judæi cœperunt cum Græcis societates & amicitias contrahere, paulatim quidam ritus Græcorum ad Judæos transfère. Unde potuit esse, quòd Iudas Maccabæus vir militaris, à Græcis hanc opinionem

Bbb 2

accepe-

acceperit, & sanctos vivorum officijs juvari posse existimaverit, ideoque propitiationem pro mortuis fecerit, ut à peccato solverentur, 11 Maccab. XI 1, 46.

VII. Nam animos humanos ut absentium ita mortuorum quoque, cognatorum aut amicorum, amor junctim & desiderium tenet. Ex amore & desiderio nascitur cura & sollicitudo.

IX. Post natum Christum annis circiter cc Clemens in scholâ Alexandrinâ Theologiæ & Philosophiæ principia confudit, quâ confusione & quarumcunque traditionum acceptatione fundamenta jecit errorum & superstitionum.

IX. Eum sequitur Origenes, qui inter alia commentus est, quoscumque impios impiè mortuos, imò Diabolos ipsos aliquando salvatum iri: Et animas quascumque ut ut piorum hominum, post sejunctionem, pro peccatis satisfacere oportere, & pœnas expiatorias & purgatorias sustinere.

X. Hic error ab alijs etiam Græcis imbibitur, & in scriptis, leviter tamen, adtingitur. Exploditur autem & unâ cum reliquis Origenicis depravationibus anathemate percellitur in Synodo generali quintâ Constantinopoli ab Imp. Justiniano anno Christi DLI congregatâ; nec umquam postea à Græcis recipitur, ut testantur ipsi in Apologiâ suâ de Purgatorio Basiliensi Concilio oblatâ.

XI. Sed Latinos quoque hoc contagium infecit. Et quanquam non eosdem planè & omnes errores amplectuntur, purgatorium tamen esse credunt & scribunt Ambrosius, Hieronymus, Lactantius, Prudentius.

XII. Augustinus animadvertens opinionem inveteratam animis hominum non facilè eximi posse, neque tamen

tamen sacris literis adstrui, medium se gerit: & de purgatorio ex professo agens, id quod res est, fatetur; fortuitam autem mentionem si injicit & obiter, tum quidem juxta receptam opinionem interdum loquitur.

XIII. Pontificijs machinationibus oportuna fuit fabula. Inde enim porrò exstruxerunt, constitutos in purgatorio juvari viventium precibus, meritis, Missis. Quarum rerum qui vivus sufficienter curasset, eum statim sine purgatione beari. Sin minus curasset ipse, curare tamen posse, ut eò citiùs cruciatibus liberetur, amicos & cognatos, coëmtione scilicet meritorum, & largâ profusione opum in Monaehos & Missifices.

XIV. Hæc tamen additio de suffragijs vivorum ignota fuit Origeni, quiq̃ue eum sequuntur. Ut & illud, quod quidam nullam omninò purgationem subeant.

XV. Quamquam autem vix inter se convenient Pontificij de purgatorij structurâ & requisitis; notandum tamen ipsos juxta Platonem tria hominum genera facere. Alios enim extremum diem claudere in caritate perfectos, ideoque culpâ & pœnâ liberos mox in cœlum subvolare. Alios obire sine fide, aut etiam sine pœnitentiâ in peccato mortali; & hos rectâ ad generum Cereris descendere. Tertios qui fidem habeant, & pœnitentiam & caritatem, sed imperfectè, vel obnoxij sint peccatis quibusdam venialibus, vel remissâ quidem culpâ, pro pœnis tamen vivi plenè nondum satisfecerint, in Purgatorium detrudi, ut ibi adimpleant, quod hic aut non voluerunt, aut non potuerunt.

XVI. Atque hoc figmentum pro articulo fidei venditat Concilium Florentinum & Tridentinum. Belarminus quoque *constanter adserit, dogma esse fidei purgatorium*

De purgat.  
l. 2, c. 25.

torium, ad eò ut qui non credit Purgatorium esse, ad illud numquam sit perventurus, sed in gehennâ sempiterno incendio cruciandus.

- XVII. Porro purgatorium docet convenire ijs tantum, ut jam ostendimus, qui moriuntur aut cum
- lib. 2, c. 1. culpâ venialibus, aut cum reatu pœnæ, culpâ jam remissis. Quamquam negare non potest, antiquos purgatorij patronos haut ita docuisse. Deinde tradit, animas in purgatorio non posse mereri, vel peccare.
- c. 2. Argumentis autem, quibus hoc probare contendit, Purgatorium ipsum omninò evertitur. III. Certas esse de sua salute. IV. De loco Purgatorij nondum definitum esse ab Ecclesiâ, quare è varijs opinionibus sibi communem Scholasticorum maximè probari, qui unanimi consensu constituant quatuor sinus intra terram, sive unum in quatuor partes divisum. Unum pro damnatis, in quo aeterna & damni & sensus pœna; alterum pro purgandis, in quo utraque, verum temporanea; tertium pro infantibus sine Baptismo abeuntibus, in quo damni pœna aeterna; quartum pro justis, qui moriebantur ante Christi passionem, qui nunc vacuus remanet, diciturque Limbus Patrum, in quo pœna damni temporanea. Negare tamen non potest, plurima adhuc purgationum loca fingi, in sylvis, balneis, paludibus, fluminibus, denique ubicumque quis peccarit, ibi quoque purgari rationi consentaneum est, & factis adparitionibus. *Difficultas*, inquit, est
- vide cap. 7. *satis magna. Nam cum omnibus Theologis & Concilio Florentino pugnant visiones valde probabiles.* Tantum de loco. V.
- c. 9. De tempore purgationis rem incertissimam esse dicit, & non nisi temerè definiri posse. VI. Pœnam in purgatorio duplicem docet, sensus & damni. Hanc esse carentiam divinæ visionis; illam fieri per ignem verum & proprium,

prium, ejusdem speciei cum nostro elementari, qui tamen quo modo animas urat sciri non posse. Hoc autem sciri, cum illis pœnis nullas pœnas hujus vitæ comparandas. An verò Dæmones cooperentur, incertum esse & inter secreta: quippe aliud Thomam & Scholasticos, aliud revelationes docere. Demum in Purgatorio constitutos juvari suffragijs vivorum, quorum tria facit genera: Sacrificium Missæ, Orationem, Opera quædam pœnalia & satisfactoria, ut eleemosynas, jejunia, peregrinationes, & similia. Et primum quidem prodesse, etiam si missifex injustus sit & malus; Reliqua verò nihil prodesse, nisi qui suffragatur sit justus. Homo enim injustus non potest pro se satisfacere, & multò minùs pro alijs. Adhæc juvantur indulgentijs. Pontifex enim tamquam summus dispensator thesauri Ecclesiæ potest illis communicare bona opera pœnalia, quæ in thesauro sunt; non tamen per modum absolutionis, quoniam non amplius sunt sub potestate ejus, quippe mortui. Atque ideo Indulgentiæ non faciunt quartum genus suffragiorum, quia nihil sunt nisi applicatio operum & satisfactorum Christi ac sanctorum.

XIIX. Hæc ferè de Purgatorio tradunt Pontificij. Ex nudâ verò enumeratione nugæ esse constat, & figmenta non modò præter scripturam excogitata, sed & contra eam.

XIX. Nos pedem figemus, quando demonstravimus, Purgatorium cum scripturâ pugnare, atque ideo nullum esse. Ita enim sponte suâ concident, quæ de circumstantijs, de suffragijs superstruuntur.

XX. Quare ipsi quidem anxij hisce quæstionibus superfedere possent, donec veritatem Purgatorij manifestis

c. 18.

c. 17.

nifestis Canonice scripturæ testimonijs probassent. Inde enim articulos fidei exstrui oportet, non ex speculatione humanâ, non ex apocryphis aut dubijs.

XXI. Primum itaque quod tres hominum ordines constituunt, pugnat cum eo, quod Christus & universa scriptura duos tantum constituit. Marc. XVI, 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.* Joan. III, 18. *Qui credit in eum non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus est.* v. 36. *Qui credit in filium habet vitam &c.*

XXII. Et usitata est illa immediata divisio, vel Vita vel Mors, vel Salus, vel Condemnatio; nusquam additur Purgatio.

XXIII. De loco quoque illo tertio altum silentium. Luc. XVI, 22. epulo sepelitur in inferno; Lazarus ab Angelis portatur in sinum Abrahamæ. Matth. XXV. describitur forma extremi iudicij. Ibi sola mentio eorum, quæ in vitâ aguntur, nulla eorum quæ post mortem. Neque dicit Dominus: *Venite benedicti Patris mei, defecati enim estis, & igne purgatorio sufficienter cruciati; verùm Esurivi & dedistis mihi, quo vescerer.*

XXIV. Secundò cum sacris literis pugnat, commentum, quod alibi refutavimus, de peccato veniali.

XXV. Tertio quod Christi merito derogant, eumque pro solis culpis satisfecisse adserunt, non pro pœnis. Quippe *castigatio pro pace nostrâ super eum.* Ies. LIII, 5.

XXVI. Quarto quod culpis dimissis pœnas remanere docent, pro quibus nosmet satisfacere oporteat. Totum enim id à Christo, uti diximus, abundè præstitum est: nempe si culpam sufficienter sustulit, & chirographum, quod contra nos erat, cruci adfixit, simul quoque

que sustulit pœnam. Nam ubi nulla culpa, ibi nulla pœna cul-  
pis debita. Et testatur scriptura remitti unà cum culpâ pœ-  
nam. Matth. XI IX, 27. & debitum remittitur, & debitor di-  
mittitur, non venditur, non mancipatur carceri. Acolastus  
rever sus & ovis inventa cum gaudio recipiuntur, non autem Luc. 15.  
cruciatibus subjiciuntur. Sed hoc commentum disputatione  
oetavâ pluribus oppugnavius.

XXVII. Quinctò quòd fingunt mortuos patiendo sa-  
tisfacere, atque ita peccata ipsis remitti, statumque in quo obi-  
erant mutari posse, contra hæc expressâ testimonia. Eccl. IX, 5.  
*Mortui non sciunt quicquam, & non ultra ejus merces. v. IO. Quod-  
cumque potest agere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec  
ratio, nec scientia, nec sapientia in sepulcro est, quò tu vadis. XI, 3.  
Si ceciderit lignum sive ad austrum sive ad Aquilonem, ubicumque  
ceciderit, ibi erit.* Et nota, quæ Bellarminus ipse addit, I. 2, c. 2.  
*Hieronymus hunc, inquit, locum & Bernhardus exponunt de immuta-  
bilitate animæ post hanc vitam, quæ non potest de bonâ fieri mala,  
nec bona de malâ. Joan. IX, 9. Venit nox quando nemo poterit operari.  
Syrac. XIV, 17. Ante obitum operare justitiam, quia non est apud in-  
feros invenire cibum. XI IX, 21. Justificationem non differas usque ad  
mortem. Heb. IX, 27. Statutum est hominibus semel mori, post hoc  
autem judicium.* Judicium describitur Matth. XXV. *Venite bene-  
dicti, possidete regnum. Ite maledicti in ignem æternum.* Nec un-  
quam mentio fit tertij, quo aliqui ad satisfaciendum in pur-  
gatorium ablegentur.

XXIIX. Remissio certè offertur per ministerium ver-  
bi & sacramentorum. Nec aliud aut instrumentum aut mo-  
dus, quo offeratur, scitur. Non igitur offeretur in purgato-  
rio, ubi illa desunt.

XXIX. Demum institutio clavium ita habet, ut quæ  
super terram ligata fuerint aut soluta, itidem in cœlis ligata  
sint

sint aut soluta. Matth. xix, 18. Joan. xx, 23. Ergò quæ soluta non fuerint, nec postea solventur, se manebunt ligata.

XXX. Sextò, quod adseverant, piorum, qui in fide filij Dei vitam clauserunt, animas ad inferos detrudi & torminibus subijci. Contra hæc testimonia Jes. lvii, 6. *Justus moriens venit in pacem & requiescit in cubili suo.* Ps. cxxvii, 3. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini.* Iezech. xlix, 21. *Cum aversus fuerit impius ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Ioan. iii, 18. *Qui credit in eum, non judicatur. v, 24. Amen Amen dico vobis, qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam æternam, & in iudicium non venit, sed transit à morte in vitam* iix, 51. *Amen Amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.* xi, 25. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* Rom. v, 1. *Justificati ex fide, pacem habemus erga Deum.* Rom. iv, 7. *Beati quorum remissa sunt peccata, & quorum tectæ sunt iniquitates. Beatus vir cui non &c.* iix, 33. *Quis accusabit electos Dei?* iix, 1. *Nulla nunc est condemnatio ijs, qui sunt in Christo Jesu.* ii Cor. v, 1. *Scimus, quòd si terrestri hujus domus nostræ tabernaculum dissolutum fuerit, ædificium ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cælis.* Apoc. xiv, 13. *Beati mortui, qui in Christo moriuntur. Amodo dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Sap. iiii, 1. *Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tangit eos tormentum.*

XXXI. Testimonij consonant exempla. Dominus ad Abrahamum Gen. xv, 15. *Ibis ad patres tuos in pace.* Simeon Luc. ii, 29. *Nunc dimittis servum tuum in pace.* Atque passim mors in scripturis somnus dicitur, & qui obierunt, obdormisse. Et Paulus non vult nos ignorare de dormientibus, ne contristemur. Christus in cruce ut ostenderet idem solatium propter capitis consummationem etiam membra habere, uti voluit verbis Davidicis ex Psal. xxxi, 6. *In manu tuâ commendo spiritum*

i. Theff. 4.  
13.

*tum meum.* Et ut manifestum confestim exstaret exemplum, Iatronidixit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Atque in eadem fiducia Stephanus obdormit: *Domine Jesu suscipe spiritum meum.* Paulus. *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* II Tim. Ac. 7, 59.  
Phil. 1, 23.  
IV, 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die, justus iudex: non solum autem mihi, sed & omnibus, qui diligunt illustrem adventum ejus.* Adtende postrema, ne quis peculiare Martyrum aut Apostolorum privilegium caufferetur. Quod ne quis faciat, & hie ita loquitur, & II Cor. v, 1. loquebatur, non in suâ tantum sed omnium fidelium personâ. Et Petrus docet quosunque qui patiuntur secundum voluntatem Dei, fidei conditori commendare animas suas. Fidelium itaque animæ deponuntur & custodiuntur in manu Dei, ubi non tangit eos tormentum. Nam *de manu patris mei,* ait Christus, *nemo potest rapere.* Et, *Oves, quæ vocem meam audiunt, non rapiet eas quisquam de manu meâ.* I Ep. 4, 19.  
Jo. 10, 29.  
18.

XXXII. Septimò, præter & contra divinas literas est, quòd docent, functos & in purgatorio constitutos juvari aliorum viventium operibus & satisfactionibus, & sacrificijs Missæ. Paulus enim manifestè: *Justus fide suâ vivet.* E. non alienâ. II Cor. v, 10. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Gal. vi, 5. *Unusquisque onus suum portabit.* v. 7. *Quæ seminaverit homo, hæc metet.* v. 10. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.* Fatuæ virgines frustra oleum prudentium ambiunt, Matth. xxv.

XXXIII. Præterea de S. cœnâ certum est, institutam viventium ergò, qui possint accipere, manducare, & mortem Domini adnunciare. Abusus igitur est eam pro mortuis celebrare.

XXXIV. Demum sæpius in Scripturâ describuntur exsequiæ

sequiæ & ritus adhibiti funeribus Saræ, Abrahami, Isaaci, Jacobi, Iosephi: Nullibi mentio precum aut oblationum in commodum defunctorum. Quomodo verò, quod præcipuum, quod ad doctrinam, ad mores, ad salutem denique facit, Spiritus Sanctus omisisset?

XXXV. In Levitico certè describuntur & præcipiuntur omnium generum sacrificia accuratissimè. Nullum mortuis adsignatur. Hoc igitur adjicitur ijs, quibus nec addi nec demi oportebat.

XXXVI. II Sam. XII David Dominum pro infante vivo ne moreretur, orabat. Pro mortuo non orabat. Pro mortuis igitur David orare aut non volebat, aut non debebat.

XXXVII. In libro Tobix & Syracidæ ex professo describitur pietas curandorum funerum & officia viventium erga mortuos: nullibi mentio precum aut sacrificiorum, quæ facerent liberandis è purgatorio.

XXXVIII. In secundo quidem Maccabæorum, libro c. 2, 24. Apocrypho, ex quinque libris Iasonis Cyrenæi confarinato, scripto adfectatè, nimium in omnibus græcissante, & cum primo Maccabæorum neque rarè neque leviter pugnante habetur v. 12. unicum Iudæ Maccabæi exemplum, qui pro duobus millibus à Gorgiâ cæsis, qui fragmina idolorum Iamensium raperant, & secum habuerant, duo millia drachmarum Hierosolymas mittit, ad offerendum pro peccato sacrificium, benè & urbanè faciens de resurrectione *Ἐπιλογισθῆναι*. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos sperasset superfluum & vacuum pro mortuis orare. Deinde considerans, his qui cum pietate dormierant, optimam repositam gratiam *ὁσὶα καὶ εὐσεβῆς ἐπινοία*. Unde pro mortuis propitiationem fecit, ut à peccato solverentur. Hæc ibi. Verùm lib. I, c. V. ubi eadem historia narratur, nullum vestigium oblationis aut sacrificij.

XXXIX.

XXXIX. Sed quicquid sit de veritate rei gestæ, neque tamen vel hîc legimus de eo, quòd in Purgatorio Iudas esse duxerit, atque ideò sacrificijs succurrendum dixerit. Non enim sequitur: Iudas orat pro mortuis. E. in purgatorio torqueri existimat. Potest enim orare, ut peccatis ipsorum dimissis propitium extremo die iudicem experiantur.

XL. Ut autem fecerit Iudas, sine mandato fecit, & sine exemplo. Qualia ne nos continuo ad imitationem trahe-remus, expresso mandato cavit Dominus, cùm ait: *In præceptis patrum vestrorum nolite incedere. Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite.* Jezech. 10,  
18.

XLI. Neque verò vel Iudas vel auctor ipse ullam significationem præbent, se velle, ut hoc alij imitentur. Quæ verò dementia agitat homines, ut quod sine mandato ex privatis ἀγλοισμοῖς & ἁγνοίᾳ fecit vir militaris, id sub anathematis denunciatione imitandum proponant; quod Christus testamento sanxit & instituit, ut ex calice biberent omnes, id verò liberum dicant & non necessarium?

XLII. Quod si probent isti, quæcumque libro isto vel laudantur vel narrantur; imitentur quoque factum Rasis ἀυτόχειρ, bonum factum dicant, quòd Antiocho Eupatro permissum fuerit sacrificium offerre. Inclinatione tum Iudaismus & labascebat, ac Iudæi passim, ut eodem in libro videre est, Hellenismum adfectabant, ipsique adeo Sacerdotes legalia ad mores & favores gentilium detorquebant. Quid mirum itaque, si opinionem eodem ex fonte Iudas hauserit? c. 14.  
c. 13, 23.

XLIII. Quamobrem nec minimum Purgatorio locus iste patrocinator. Imò adversatur potius. Purgatorium enim eorum, qui venialibus delictis obnoxij. Sed hi in mortali discesserant. Deinde purgatorium ante resurrectionem est. Textus expressè aliud habet: *de resurrectione cogitans.*

*Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos sperasset.* &c. Iudas igitur quod fecit, ideo fecit, ut latam resurrectionem suis impetraret, & malum, quod in resurrectione obtingere posset, averteret. Non igitur à malo ante resurrectionem metuebat. In transcurso autem scriptor hanc cogitationem de resurrectione scilicet laudat, & sanctam ac piam adpellat, quoniam istis temporibus cœperat resurrectio in dubium vocari.

XLIV. Atque hoc est Maccabæi de sacrificio pro mortuis exemplum, quod nec post Judæi ipsi sunt imitati. Multò minus nobis imitandum erit, quum neque Christus neque Apostoli tale quid præceperint.

XLV. Paulus 1 Theff. IV, 13 de dormientibus docet, & nos dolere prohibet. Quomodo verò non doleamus, si illi purgatorijs torturis discrucientur, nos autem suffragijs nostris maturè succurrere oporteat? Quàm malè itaque facit Paulus, & tam vivos quàm mortuos solatio privat, qui vetat angi, & jubet in solâ resurrectionis & æternæ salutis spe confidere, atque inde solatium petere; neque vel verbulo monet de suffragijs ferendis, miserisque animabus juvandis aut liberandis, loco quo certè debuisset, & nullus convenientior. Ibi enim ex professo agit de mortuis, & curâ pro mortuis.

XLVI. Joanni in Apocalypsi fidelium status post hanc vitam, non tantum qualis futurus post resurrectionem carnis, verum etiam qualis nunc post mortem est, varijs visionibus ostenditur, ubi certè locus & tempus fuisset revelandi purgatorij, si unquam ullum alicubi esset.

XLVII. Quoniam quoque superiùs mentionem faciebamus Indulgentiarum Pontificiarum, hîc de ijs testimonium & confessionem Durandi, non plebeij doctoris inter Pontifi-

Pontificios adscribemus, & concludemus. Sic ille: *De Indulgentijs pauca dici possunt per certitudinem: quia nec Scriptura expressè de ijs loquitur. Quod enim dictum est Petro Matth. xvi. Tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris &c. intelligitur de potestate ei datâ in foro pænitentiae. De collatione autem indulgentiarum non est clarum, quomodo debeat intelligi. Sancti etiam Ambrosius, Hilarius, Augustinus, Hieronymus minimè loquuntur de indulgentijs. Gregorius tamen loquitur; qui etiam indulgentias Romæ instituit in stationibus, ut dicitur: & ideò loquendo de eis sequendus est modus communis.*

Hic nunc gratijs **DEO OPT. MAX.** pro veritatis agnitione actis, precibusque fufis, ut ea in animis nostris fervetur & confirmetur, subsistimus, finemque facimus. Quæ in hac faragine disputationum vel præterivimus vel minùs commodè minùsve accuratè expeditivimus, rectiùs & pleniùs *sv̄ se. p̄* tractabimus, cùm universam disciplinam Theologicam more cæterarum scientiarum ad Logicas, sui que ordinis leges conformatam dabimus.

## F I N I S.

## Errata Typographica.

*Cepit* pro *cœpit* p. 4. 24. 20. 34. 177. *Ceptum* pro *cœptum* p. 215. 232. 236. *Cetera* pro *cætera* p. 8. 28. 178. *Circumincefio* pro *circuminfessio* p. 16. *quò ad* pro *quod ad* p. 19. 154. 157. 181. 234. 296. *Clavi* pro *clave* p. 110. *neuteribi* pro *neutrobi* p. 162. *neticia* pro *notitia* p. 171. 178. *è contra* pro *è contrario* p. 174. 299. *œœgryda* pro *œœgyda* p. 174. *omnipotentissimi* pro *omnipotentis* p. 186. *Indigitarant* pro *nominarant* p. 217. *Sublatam iri* pro *sublatum iri* p. 226. *restitutos iri* pro *restitutum iri* p. 227. *Parhonis* pro *Pharaonis* p. 240. *Intricatoria* pro *intricatoria* p. 245. *Conversos iri* pro *Conversum iri* p. 289.